

His consonat resolutio S. Congregationis, quam ex Barbosa recitat Zypæus in Jure novo *Tu. De majoritate & obed. numer. 12*. nimirum, Episcopum in indicendis Processionibus publicis non debere habere consensum Capituli; & quidem non obstante quasi possessione contrariâ aut consuetudine.

XII. Neque Prælaturum quantumvis exemptum posse impedire Episcopum indicere Processiones in sua Ecclesia, judicavit Concilium Privatum pro Episcopo Audomarensi 21. Aug. 1593. & 25. Septemb. eodem anno, contra Abbatem S. Bertini. Habetur sententia in Registro sententiarum Concilii Privati, quod incipit à prima Februarii 1591. fol. 25.

XIII. Nec indicere dumtaxat Processiones seu Supplicationes solemnes ad Episcopum spectat, sed etiam quâ viâ & quò ducendæ & dirigendæ; item quò ritu & formâ instituendæ; quæque in his cavenda aut observanda sint.

Hæc ratione mandavit in sua Synodo Anno 1567. Archiepiscopus Cameracensis Archiepiscopus byteris suis: „Ut sollicitè perscrutantur in Ecclesiis visitatione, num non irreperiant aliqua superstitiona & vana in Processiones. Ubi vero hujusmodi aliquid conperit habuerint, volumus, ut ab omni irreverentia repurgatis Ecclesiis, in vera pietate Fideles omnes contineamus.

Eadem ferè ratione vetuere Episcopi Belgii in suis respectivè Synodis: „Nè in Processionibus, quas dedicationum vocant, Venerabile Sacramentum circumferatur: eò quòd ad hujusmodi Processiones populus magis spectandi, quàm orandi causâ accedere soleat.

Et Synodus Mechliniensis P. II. tit. 14. cap. 2. § 5. „Imagines sacras seculariter comptas, nec in Templis, nec in Processionibus tolerent Episcopi; & quæ ad ornatum Supplicationum proponuntur, ejusmodi sint, quæ oculos spectantium non offendant... Numquam etiam Reliquiæ, vel Imagines in Processionibus deferantur, nisi per Clericos sacris initiatos, quantum fieri potest; neque tam longè itineris circuitu, ut aut populi devotio languescat, aut comotationibus aliisque infolentis occasio præbeatur.

XIV. Similiter licet per se inordinatum non sit, Imagines aut Reliquias Sanctorum unâ cum Venerabili Sacramento in Processionibus circumferre; significantes, ut ait Synodus Colonienfis anno 1549. *illos nunc cum ipso regnare & triumphare in caelis, qui vestigia ejus hic in terris secuti sunt*; si tamen Episcopus videat, eam esse populi sui circa aliquas Sanctorum Imagines aut Reliquias inordinatam devotionem, ut ex externo agendi modo sit appareat, honorem SS. Sacramento debitum ad Sanctorum Imagines potius, quàm ad ipsum Venerabile referri: idque etiam non raro cum summo hereticorum scandalo, poterit Episcopus præcipere, ne cum ipso Venerabili Sanctorum Imagines aut Reliquiæ circumferantur.

Quod etiam pridem, ob illud indubiè periculum, sæpius decretum fuit. „In solemnè illa Processione, ait S. Carolus, in qua Sanctissimi Domini Corpus per urbem religioso cultu deferatur, ne Reliquia ulla, sed illud solum, ut veteris instituti, Ecclesiæque Romano Matris consuetudinis est, pio, religiosoque apparatu, solemnique celebritate feratur. „Concil. Med. IV. parte 2. cap. 4.

Similiter An 1639. Synod. Namurc. statuit, „Quando contingeret Venerabile Sacramentum deferri, nullæ aliæ Reliquiæ vel Imagines Sanctorum deferantur... in die verò Patroni sola ejus Imago vel Reliquiæ deferantur.

Quin & An. 51. currentis sæculi Maximilianus Henricus Archiepiscopus Colonienfis decrevit: „quod tametsi pium, & laudabile sit, ut in communibus Processionibus & supplicationibus ac stationibus deportentur Sanctorum (si quæ in Ecclesiis habentur) Reliquiæ, vel sola Imago Divini loci Titularis, in eis tamen Processionibus & supplicationibus ubi SS. Sacramentum circumferatur, nullæ merito Sanctorum vel Imagines vel Statuæ juxta S. Caroli Borro-

mai præscriptum (nisi pia multorum locorum consuetudo, aliquid potuisset) deportentur; de qua tamen consuetudine integrum erit nobis nostrove in spiritualibus Vicario generali seu Decanis ruralibus cognoscere, an cum pietate verâ & persuasâ consistat.

Hinc patet, dictum Archiepiscopum desiderasse quidem, ut juxta S. Caroli præscriptum cum Venerabili Sacramento Sanctorum Imagines non circumferantur; aliquid tamen consuetudini in re de se minimè inordinatâ detulisset; ita tamen ut sibi integrum esse declaraverit, judicare, num hic & nunc consuetudo illa veram populi devotionem non impediat, nec ejus erga SS. Sacramentum reverentiam potius diminuat quam promoveat.

Et merito; in his enim quæ interdum devotioni congruere, subinde verò ob temporum circumstantias & populi conditionem officere possunt, Episcoporum est invigilare & judicare, quid conveniat; subditorum verò obedire, & judicio Episcopi se submittere; juxta illud Augustini in simili materia indifferenti: *Episcopo tuo in hac re non resistere, & quod facit ipse, sine ullo scrupulo vel disceptatione scire.*

XV. Hæc plenam Episcoporum auctoritatem in indicendis dirigendisque Processionibus, utpote publicis precibus populum spectantibus abundè evincunt; quæ & Synodus Tridentina supposit, dum *sess. 25. c. 13. De Regularibus* voluit, ut, „controvertas omnes de præcedenti, quæ per se maximo cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas, per personas, tam Sæculares, quam Regulares, cum in Processionibus publicis, tum in iis quæ sunt in tumultandis defunctorum corporibus, & in deferenda umbellâ & aliis similibus; Episcopus auctoritate omni appellacione, & non obstantibus quibuscumque componat.

XVI. Cum præcipuè in hoc Decreto Synodus intendat obviare scandalis, quæ ex hisce controversiis nata sunt oriri, ni mox & indilate sistantur, compositio Episcopi eò maximè tendere debet, ut brevi manu, summatim, ac de plano, sine strepitu & figura Judicii expediat universa, quemadmodum S. Congregationem declarasse fertur, quæ similiter declaravit, appellacionem hic a motam dumtaxat quoad effectum suspensivum; nequaquam verò quoad effectum devolutivum.

XVII. Quia verò interdum Episcopalis auctoritas hujusmodi controvertis diminuendis ac sopiendis haud sat potens & efficax est, Regia nonnunquam accedit; quæ tione quæ super hisce controversiis ad Concilia Regia, præcipuè si de possessorio agatur, frequenter devolvuntur; quod quotidianâ praxi notus est, quàm ut probari debeat. Et plura Regia Arresta in hac materia referit Renatus Choppinus *Lib. 2. Monast. tit. ult. num. 23.*

XVIII. Addit deinde Synodus Tridentina: „Exempti autem omnes, tam Clerici Sæculares, quàm Regulares, quicumque, etiam Monachi, ad publicas Processiones vocati accedere compellantur, nisi tantum exceptis, qui in strictiori clausura vivunt.

Vigore hujus Decreti decisum esse testatur Stephanus Gratianus *Decis. 232. num. 15.* in Curia Episcopali Papiæ, „Monachos posse compelli ab Episcopo, & Censuris distringi aut saltem pœnis pecuniariis, ut vadant ad Processiones publicas.

XIX. Et Erasmus Choquier post Choppinum *De Sacra Politia lib. 2. tit. 6. n. 18.* refert judicatum, „quod omnes, nes, quantumcumque exempti, accedere tenentur ad processiones consuetas, aut indicatas pro bono publico vel honore. „*De Jurisd. in exemptos parte 2. quest. 45. numer. 109.*

XX. Futere quidem nonnulla Capitula Canoniorum, quæ titulo *immemorialis* consuetudinis & possessionis se prætendebant ab hac accedendi ad processiones obligatione exemptos; sed observat Aloysius Riccius in *praxi sua Neapol.* hanc consuetudinem in Gallia esse reprobata tamquam illegitimam & irrationabilem. Et in specie

specie Canonici Metenses, quantumvis exempti, declarati sunt non receptibiles ad prætendendum se non esse obligatos comitari suum Episcopum in publica supplicatione, per sententiam Senatus Parisiensis anno 1583. Similia duo alia Arresta contra Canonicos titulo *antiquæ possessionis* id ipsum prætendentes referuntur per Meynardum *lib. 1. Notab. 44. cap. 5.*

XXI. Hac eadem auctoritate possunt Episcopi Processiones antiquas institutas, ac multo tempore observatas, vel in totum abrogare, aut immutare, si in eas abusus irreperisset viderint, nec tam ad excitandam devotionem, quàm ad excellentius committendos conducere perpexerint.

Hoc motivo Patres Synodi Colonienfis Anno 1536. processiones quæ per agros & campos peragebantur, abrogarunt, sive voluerunt, ut hæc processiones de cætero intra septa Ecclesiarum religiose fierent, ac ut in templo, loco precationibus peculiariter dedicato, oreretur Deus, habeaturque tum pius rei ac temporis conveniens sermo communitarius.

Rationem hujus desideratæ mutationis assignant, quod processio harum institutio rationem quidem habeat, nempe quod populus ore, ut *segetes ac fruges terra à Domino conserventur.* Verùm ut alia plurima, iniquantia & hic mos hominum malitia depravatus est, quod per occasionem talis deambulationis, quæ Deo placando erat instituta, pleraque scelera committantur. Quamobrem nobis satis videtur, ut hæc aliæque supplicationes ac processiones, de cætero intra septa Ecclesiarum religiose fiant, ac ut in templo, loco precationibus peculiariter dedicato, oreretur Deus, habeaturque tum pius rei ac temporis conveniens ad populum communitarius sermo.

XXII. Quin inter species orationis publicæ recensendum sit Officium Canonicum, sive Horatum Canoniarum solemnis per solutio, indubitatum est; ut proinde etiam hic cura Episcopalis invigilare debeat, num omnia ritè devotè ac rectè ordine peragantur; nihilque solidæ devotioni, ac Divini Officii majestati contrarium immisceatur.

XXIII. Quapropter non tantum in pristinis, sed etiam recentioribus, ac nostræ penè ætatis Synodis frequenter inculcatum Episcopis legitur, ut Breviaria, Missalia, Antiphonalia, aliosque ad Ecclesiasticum Officium spectantes libros diligenter examinent; & si quid superfluum aut cultui divino indecens aut minus dignum repererint, tollant.

Concilium Senonense superiori sæculo Lutetiæ Parisiorum sub Antonio à Prato S. R. E. Cardinale, nec non Senonensium Archiepiscopo, & Galliarum Primatate celebratum statuit: „ut Diocelani statim post dissolutum præsens Concilium diligenter visitent Breviaria, Missalia, Antiphonalia, ac Sanctorum Legendas. Et quæ deprehenderit in illis superflua, aut non satis pro Ecclesiæ dignitate convenientia ipsi continuo tollent & refecabunt, & quæ viderint esse necessaria, adjicient. „*Cap. 1.*

XXIV. Similiter sub idespene tempus. Patres Concilii Colonienfis attendentes, nonnulla in divinum officium cæco quodam judicio invecata, judicant operæ pretium facturi, si Missalia perinde atque Breviaria per videri curarent, ut amputatis tantum superfluis & quæ superstitiosius, invecata videri possint, ea tantum, quæ dignitati Ecclesiæ, & præcis institutis consentanea fuerint, relinquuntur. „*An. 1536. part. 2. c. 11.*

Concilium quoque Mechliniense intelligens, quoniam in Divino Officio quandoque, & potissimum in festis quæ certis Diocesis propria sunt, in historiis quæ leguntur, & sequentis Missarum quedam occurrunt, quæ subinde pios offendunt, statuit ut curent Episcopi & quod in eo officio purgandum videtur & corrigendum, expurgent & corrigant, aut loco Officii hujusmodi jubeant Officium de communi cantari.

Van Espen Jur. Eccl. P. I.

Hiscæ addi possunt quæ in sua Synodo anno 1570. statuit Episcopus Namurcensis Antonius Hævetius, qui Concilio Tridentino interfuit, titulo *De Sacra Eucharistia & Divini Officii per solutione cap. 8.* „In Divino Officio, ea tantum convenit decantari vel legi, quæ solida sunt, & ad ædificationem faciunt tam profertentium quam auditorum. Quare Ecclesiarum Rectores & Præfecti diligenter advertant, an in suis Ecclesiis aliqua sint immixta Officio Ecclesiastico *falsa, incerta, vel non verosimilia*: quæ si deprehenderit, ad nos deferant, ut eorum loco, ex scriptura, vel veteribus ac probatis scriptoribus *solida substituatur.*

Nullatenus proinde dubitant Episcopi, quin Breviariorum aliorumque librorum ad Divinum Officium spectantium visitatio atque correctio sibi incumbet.

XXV. Hac auctoritate usus Episcopus Aurelianensis anno 1693. novam Breviarium Diocesis suæ editionem & emendationem procuravit.

In hac verò emendatione seu correctione imprimis observavit, ut, „nihil in *Antiphonis*, nihil in *Versibus & Responsionibus* sit insertum, quod ex *Scripturis Sacris* non sit descriptum, ita ut (verba ejus sunt in præfatione Breviariorum correctæ præfixa) in his omnibus vel Deus ipse, se nos alloquatur, vel verba suppediet quibus ipsum alloquamur. *Amica enim & familiaris oratio est* (ait S. Cyprianus Martyr & Episcopus *lib. De orat. Dom. Deum de suo rogare.*)

Ulterius in dicta præfatione exponit: „Optandum quidem esse, totam utique Scripturam unâ serie in Officiis Divinis singulis annis legi potuisse; sed, cum plura contineat, quàm ut integra hoc temporis spatio legatur; id saltem fecimus, ut ex Scripturæ lectionibus nulla (paucissimis exceptis) unquam omitteretur, & lectiones ipsæ ex his de sumerentur locis, quæ & scitu magis essent necessaria, & ad animos rerum celestium amore inflammandos magis efficacis.

„Lectiones ex *genuinis & in dubitatis* SS. Patrum operibus, inquit, depromptæ sunt, quæ Scripturarum locis difficilioribus lucem afferant, fidei dogmata firmius stabiliant, Christi præcepta luculentius explicant, peccati odium altius in animis imprimant, ac vitæ æternæ desiderium ferventius excitent.

Plæsterium sic disposuit, ut singulis ferè hebdomadis totum recitetur.

Hoc verò vel maximè cordi fuit huic Antistiti, ne quid falsi aut incerti vel fabulosi in Officio divino legeretur; quare omni studio in hoc allaboratum fuisse ait, „Ut veritati fidelium ac Fidelium ædificationi consulentes, *falsa ac dubia*, removerentur, eaque ex Sanctorum historia proponerentur, quæ legentium animos ad Deum amandum, & Sanctos imitandos suavius allicerent.

Denique cum nulli Sacerdotum Canones ignorare permitatur; ideo, quæ Clerici & maximè Sacerdotes qui pro aliorum salute invigilant, circa fidem & mores seire apprimè convenit, ex Conciliorum Decretis, & Sanctorum scriptis excerptis & ad calcem Breviarium edi curavit singulis diebus ad *Primam*, etiam ab iis qui privatum Officium recitant, aliquid inde legatur.

Et quidem pro die 29. Aprilis, qua die hæc scribo hoc à Canonicis Clericisque notandum Synodi Colonienfis Decretum assignatur: „Utinam optando, à Deo Optimo Maximo consequi possimus, ne quisquam lucris causâ divinis interellet, alioquin non accessurus sacra; veluti quem nummi magis, quàm Dei amor in templum trahit, quæstum pietatem esse putans; qui (non dubium) ex numero eorum est de quibus Isaias dixit; „omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. „Optandum, ut & Breviarium Romani, quo plerique in Belgio utuntur, aliqua nova correctio fieret; quæ præ-

ferim apocrypha & dubia tollerentur; atque certa & indubitata substituerentur.

XXV. Sed cum pleræque Ecclesiæ Belgicæ, præsertim sæculares receperint Breviarium & ritum Romanum, attendenda erit circa Librorum Divinorum correctionem Bulla Pii V. quæ Breviario Romano præfici solet; atque stylus Curie Romanæ, qui omnia pene ad Ritus spectantia Congregationi quæ *Ruum* dicitur commisit, ubi de hac Congregatione agetur, latius ostendetur.


TITULUS XVII.

De visitatione Episcoporum.

CAPUT I.

De necessitate & scopo Visitationis.

- 1 *Cura animarum necessario requirit Episcoporum Visitationes.*
- 2 *Canones obligationem visitandi inserunt.* (Init. Synodus Tridentina quotannis visitationem instituit.)
- 3 *Episcopus non adstringitur ad unicam visitationem annuam.*
- 4 *Synodus conscientia Episcoporum permisit, num plures quam annua visitationes sint necessariae.*
- 5 *Episcopus cessante legitimo impedimento per se visitare tenetur.*
- 6 *Quid Episcopum agere conveniat, si Diocesim ob ejus latitudinem convenienter per se visitare nequeat.*
- 7 *Scopus Visitationis a Synodo Tridentina expressus.*
- 8 *Visitatio præcipue versari debet circa interiorem statum Diocesis.*
- 9 *Quæ præcipue inquirenda ex mente Synodorum?*
- 10 *Scopus Visitationum compendiosè à S. Carolo expositus.*
- 11 *Vetus formula Visitationis multa hisce quoque temporibus utilia continet.*
- 12 *Episcopus ut facilius ac celerius cum fructu visitationem absolvat, debet Ministros inferiores præmittere.*
- 13 *Hoc etiam probavit S. Carolus?*
- 14 *Litteras Pastorales materiam & scopum Visitationis continentes, præmittenda: & quid hic fecerit S. Carolus.*
- 15 *Parochi litteras populo prælegere, eumque ad visitationem obedienter recipiendam inducere tenentur.*

I. nimarum curatio rite peragi nequit, si morbi nesciantur. Hi vero sciri nequeunt, nisi medici agros visitent, in morbos inquirent & studiosè examinent. Quapropter nihil adeo à Patribus & Sacris Canonibus Episcopis in curam fuit, quam continua Diocesim perlustratio & visitatio: præcipuaque Sanctorum Episcoporum occupatio fuit Diocesim continua circuitio & perlustratio.

II. Cumque labentibus sæculis hæc Episcoporum sollicitudo interdum staccet, atque in sensum dormientibus Pastoribus zizania malæ doctrinæ, aut morum abusus seminarentur & crescerent; non desuere Concilia, & Pontifices, qui Episcoporum hac in parte obligationem urgerent, & ob oculos ponerent.

„Multorum casuum (ait Synodus Tarraconensis III. can. 8.) experientia magistrante, reperimus nonnullas Diocesanas Ecclesias esse destitutas; ob quam rem hæc constitutio decrevimus, ut antiquæ consuetudinis ordo servetur, & annuis vicibus ab Episcopo Diocesano visitentur; & si qua forte basilica reperta fuerit destituta, ordinatione ipsius reparatur.

Synodus Lugionensis in Gallæcia & Portugalia Dioceses multiplicari voluit, „quia in tota Gallæcia regione sparsa latis dioceses ab Episcopis tenentur: ita ut aliquantæ

XXVI. Demique Synodus Tridentina hæc circa preces publicas Episcopalem auctoritatem expendens, ipsis Episcopis mandavit, ea omnia quæ à Sacrificii Missæ dignitate aliena sunt, quæque vel avaritia, vel irreverentia, vel superstitio induxit, è medio tollere sedulo curent, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque; uti fusiis dicitur, & abusus è medio tollendi proponuntur infra parte 2. titulo De Celebratione Missarum.

„Ecclesiæ per singulos annos vix possint à suo Episcopo visitari.

III. His aliisque infinitis propemodum Canonibus, qui visitationem, tamquam præcipuam ac maximè necessariam Episcoporum functionem urserunt, insistent Synodus Tridentina Sess. 24. cap. 3. De Reform. decrevit, „ut Patriarchæ, Primates, Metropolitanæ & Episcopi propriam Diocesim per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, aut Visitatorem, si quotannis totam, propter ejus latitudinem, visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem; ita tamen, ut tota biennio per se, vel Visitatores suos compleatur, visitare non præmittant.

IV. Porro cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus Animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, ut loquitur Synodus Tridentina Sess. 23. cap. 1. De Reform. nullatenus ex mente Patrum Concilii est, quod Episcopi unicam Diocesim visitatione annua aut bienniali obligationi suæ semper satisficiant: quandoquidem fieri possit, frequentiores visitationes requiri, ut oves suas agnoscere, & statum suæ Diocesis perspectum habere queant.

Et uti rectè advertit Cardinalis De Luca Discursu 5. ad Concilium Tridentinum: „terminus unus anni, vel saltem biennii (de quo in Decreto Concilii Tridentini) quamvis ex præcepto statutus videatur, ne id negligi valeat; non tamen adeo laxativus est, ut intra breviorum terminum, quando Episcopus seu Ordinarius opportunum vel salubre credat, visitare non possit; eum etiam bis in eodem anno, juxta casuum contingentiam, ac rerum opportunitatem, id facere valeat; dummodò tamen ad bonum finem, bonoque zelo id agatur, non autem ut id serviat ad solum prætextum exigendi à Capitulis & Cleris aliisque subditis procuraciones, ac munera, victualia, sub quorum prætextu magna fieri solent extorsiones.

V. Itaque, Synodus quidem voluit, ut semel saltem quotannis Diocesim suam visitarent; permittens de cætero Episcoporum conscientia, num pro Diocesis & ovium sibi committarum notitia frequentiores requirantur; juxta illud Leonis IV. ad Episcopos Britannia apud Gratianum 10. q. 1. can. 4. „Regenda est unaquæque Parochia sub tuitione, & provisione Episcopi per Sacerdotes vel cæteros Clericos, quos ipse cum Dei timore providerit, cui jure pertinere videtur, & circumire, ut sibi necessarium visum fuerit Ecclesiastica utilitate cogente.

VI. Cum enim Episcopus per se curam suæ Diocesis habere & gerere debeat, merito quoque injungitur, quod eam per se lustrare visitareque teneatur; & si vel ob ejus latitudinem aut legitima impedimenta eam toties per se circumire ac visitare nequeat, ut perfectam illius notitiam accipiat, satagat, ut per inferiores v.g. Archidiaconos, Decanos seu Archipresbyteros, aut Visitatores specialiter ab ipso designandos visitatio ita instituat & agatur, ut per ipsos plenam totius Diocesis, & ovium sibi committarum notitiam habere queat.

VII. Ita

VII. Ita S. Carolus, quantumvis in visitatione suæ Diocesis indefessus & assiduus, quemadmodum ejus acta ac vita testantur, cum nimiam suæ Diocesis videret extensionem, ac infinita propemodum reformanda compelleret, ea ab eo inita fuit deliberatio, ut quo diligentius & visitatio, & per executionem usum perpetuè salutaria Decreta inducantur; Ecclesiastici aliquot homines, spectata morum probitate, prudentia, doctrina, disciplinæque Ecclesiasticæ usu periti deligerentur, quibus tum visitandi, tum omnem executionem procurandi, promovendique munus committeretur.

Hæc in præfatione Instructionum pro Visitatoribus, quæ merito ab Episcopis aliisque, quibus visitandi obligatio incumbit, legentur in Actis Ecclesiæ Mediolanensis parte 4. pag. 540. & seq. Edr. 1683.

VIII. Synodus Tridentina postquam ostendit, quando Episcopi, Archidiaconi, alique quibus jus visitandi competere consuevit, visitationem instituere debeant, subiungit: „Visitationum autem omnium istarum præcipuus sit scopus, sanam orthodoxamque doctrinam, expulsi hæresibus inducere, bonos mores tueri, prævios corrigere; populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere; cætera, prout locis, tempus & occasio feret, ex Visitantium prudentia ad Fidelium fructum constituere.

IX. Scopum hunc ut assequantur Visitatores, non sufficit informari de his, quæ externum Ecclesiarum statum concernunt; sed præcipue de interiori statu dignoscendo allaborandum est.

Unde in formala visitationis, quam anno 1579. in generali Conventu proposuit Clerus Gallicanus, non tantum quid de exteriori statu Ecclesiarum (circa quem plerique hodie Visitatores occupantur) sed præcipue, quid de interiori inquirendum sit proponitur; quemadmodum & in ea, quam S. Carolus in sua Synodo Provinciali quarta exhibuit.

X. Unde Synodus P. I. Cameracensis Tit. De visitatione cap. 2. vult, ut Episcopi in visitatione „primùm cognoscant de fide, vitæ sanctimonia ac moribus: sive visitatio fiat in Monasteriis, sive Capitulis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, vel etiam aliis Ecclesiis. Quoniam id præcipue spectandum est, ne doctrinæ sinceritas ullo errore corrumpatur; nec præterea vitis vita maculetur. Cognoscant deinde de regula ac statutis; an servantur, an negligantur; & singula ritè ac ordinatè constituentur.

Deinde Cap. 3. „Externa etiam visitando non negligant: ut sunt habitus, decens tonsura, & hujusmodi reliqua.

Post hæc subiungit cap. 4. „Sed illud præcipue spectent, quam rectè & diligenter Pastores ministeria sua obeant: sive docendo, sive Sacramenta ministrando, & Venerabile Sacramentum & Unctiones & Baptisteria honestè conservando. Cognoscant præterea de bonis Ecclesiarum, ac suppellectile, de bibliothecis & aliis hujusmodi, ne quid per negligentiam pereat. Provideant etiam ut & fundationes observentur, & elemosinæ liberalitate piorum hominum institutæ pauperibus nulla fraude distriuantur.

XI. Hæc aliaque similia passim in Synodis Visitatoribus, atque imprimis Episcopis inculcantur, quæ manifestè ostendunt Ecclesiæ mentem esse, ut Episcopi „diligentiam omnem visitando adhibeant (verba sunt Concilii Mediolanensis IV. parte 3. tit. De visitatione non modo in Ecclesiarum cultu & ornamento tuendo, augendo, sed maxime in omni & Cleri & populi pristina Christiana disciplina restituenda; in utriusque item moribus cognoscendis, in idemque depravatis corrigendis.

XII. Vetus Formula Inquisitionis, juxta quam Episcopi alique inferiores Prælati olim Visitationem suam dirigere debebant, idem evincit. Nam Formula hæc prout eam circa Van Espen Jur. Eccl. P. I.

sæculum X. evulgavit Regino Abbas Prumiensis in suo Opusculo de Ecclesiasticis disciplinis, in duos libros erat distincta; atque in primo continebatur, quid ab Episcopis circa Ecclesiasticos Viros esset inquirendum; secundo autem, quid circa Laicos.

Plura de hac Inquisitionis Formula & Opusculo Reginonis observavi Tractatu Historico-Canonico in Canones parte 7. cap. 1. Neque inutiliter Formula inquisitionis una cum Opusculo Reginonis legetur ab iis, quibus visitandi munus incumbit: plurima quippe & hodie utilia, ac modernis temporibus accommodata diligens lector & peritus scrutator reperiet; eamque consuluit S. Carolus, aut eos, qui instructionibus Visitatorum, quæ in Actis Ecclesiæ Mediolanensis parte IV. prostant, formandis fuere occupati, innuit harum cum prædicta Inquisitione in multis consonantia.

Post expositum scopum omnium Visitationum, Synodus Trid. Visitatores instruere pergit; quæque ad scopum illum allequendum conducant proponit. „Quæ ut facilius feliciusque, aut succedant; monentur prædicti omnes & singuli, „ad quos Visitatio spectat, ut paternam charitate Christiana, noque zelo omnes amplectantur: ideoque modesto contenti equitatu famulatuque, studeant celerrimè, debita tamen cum diligentia, Visitationem ipsam absolvere.

XIII. Ut verò Episcopus celerius, debita tamen cum diligentia, visitationem, absolvere queat, jam olim decretum fuisse legitur: „Cum Episcopus suam Diocesim circumit, Archidiaconus, vel Archipresbyter eum præire debet uno, aut duobus diebus per Parochias quas visitaturus est; & plebe convocata, adnuntiare debet proprii Pastoris adventum, & ut omnes ad ejus Synodum die denominatè imminerent, prætermisè occurrant, omnimodis ex auctoritate sanctorum Canonum præcipere, & minaciter denuntiare, quòd si quis absque gravi necessitate defuerit, procul dubio à communionem Christianam sit repellendus. Deinde accitis secum Presbyteris, qui illo in loco servitium debent, exhibere Episcopo, quidquid de minoribus & levioribus causis corrigere potest, emendare satagat; ut Pontifex veniens nequaquam in facillioribus negotiis fatigetur, aut ibi immorari anaplus necesse sit quam expensa sufficiat. Apud Reginonem lib. 2. cap. 1.

XIV. Hoc Rothomagensis Concilii Decretum, tamquam visitationi celerius ac fructuosius perficiendæ summo perè opportunitatem renovavit, ac observari præcepit S. Carolus in suo Concilio IV. Mediolanensi; permittens tamen Episcoporum arbitrio, num Archidiaconum Archipresbyterum, aut alium Ecclesiasticum hominem præmittere velit.

XV. Insuper Zelosissimus hic Pastor, ut majori cum fructu ac minori morâ Visitationem absolverent Episcopi, litteras Pastorales, quæ Visitationis materiam, scopum, atque alia eo spectantia continebant, Visitationi præmittendas censuit. „Porro Parochus aliisque Ecclesiæ Rector vel Præfatus, in qua Animarum curam gerit, cum visitandus erit, „Pastorales Episcopi Litteras, Visitationis nomine editas, duobus ante illius adventum proximis festis diebus, inter Misarum solemnias, cum populi frequentia adest, de scrippto recitet. Idem Parochus aut Ecclesiæ Rector præstet de Litteris, quas de Confirmationis Sacramento ritè religioseque suscipiendo, Episcopus instructionum monitione numve nomine ediderit.

Deinde monet: „Ut Parochus Litterarum, edictorumve Episcoporum evulgationem recitationemve & Sermonem, & Concione, & monitionibus, & omni alio tum publico tum privato cohortationum officio profequatur, prout expedire animadverterit: quo fidelium animos diligentius præparet, atque excitet ad suscipiendum Episcopalis Visitationis officium.